



Disputatio medica inauguralis de dysenteria

<https://hdl.handle.net/1874/343803>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

QUAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri
Academia Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON
*Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimæque
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè
& legitimè consequendis,
Publico examini subijcit

LUCAS STEIN, LUBECENSIS.
Ad diem 12. Septembris, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lcc xcii.

V I R I S
*Magnificis , Nobilissimis , Amplissimis
atque Consultissimis*
D O M I N I S
C O N S U L I B U S .
D O M I N O
S Y N D I C O .
D O M I N I S que
S E N A T O R I B U S .
Inclytæ Liber. S. R. I. Civitatis LUBECÆ,
Patris PATRIÆ Meritissimis ,
Dominis Mœcenatibus & Patronis
gratiosissimis ,
Promotoribus maximè venerandis.

*Dissertationem hanc Inauguralem , observantia atque
obsequii testem cum voto omnigena prosperitatis,
ulteriorem benevolentiam & Favorem
submisit sibi exorans consecrat*

LUCAS STEIN.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA.

THESIS I.



Tupendam consideranti Morborum Seriem, nulla species eorum, exceptis Febris Malignis & Pestilentibus, æque sordida, detestabilis, vitæque nostræ exitiosa occurrit, ac miserrimus Intestinatorum Affectus, Dysenteria dicitur. Hujus autem Vis & efficacia quod major præ cæteris in destruenda Hominum Vitâ deprehenditur, eò major quoque infringendi eam, ac enervandi requiritur cura. Quare & ego operæ pretium esse duxi, aliquid de hâc materiâ, loco speciminis Inauguralis, assistente divinâ gratiâ commentari, initium faciendo ab Etymologiâ Vocis. Derivatur nempe Dysenteria *ὑπό τῆς δύς, καὶ ἐντέρον*, à Symptomate & Parte affectâ, teste Galeno *Method. Med. Cap. 2.* Particula enim *δύς* in compositione usitata denotat ægrè, difficulter, vel etiam malè & infeliciter. Imo, *judice Scaligero Lib. 10. de Historia Animal. c. 48.* non tam difficultatem, quam Morbi Malitiam innuit.

I I.

Veteres autem Medici, uti apud Galen., 3. de *Sympt. Caus. c. 2. & 2. de sec. affect. cap. 5.* videre est, quoscunque Alvi Fluxus cruentos, Dysenteriam vocarunt. Et occurrunt in scriptis illorum quatuor potissimum talium cruentarum Alvi dejectionum differentiarum: (1) Cum per Alvum sanguis evacuatur vel propter Membrum aliquod abscissum, sanguine, qui in nutrimentum Partis abscissæ absumi debebat, recurrente ad Alvum, & ut superfluo ibidem sese exonerante; Vel propter consueta Exercitia intermissa, non imminutâ interim quantitate Alimentorum; Vel propter suppressas Hæmorrhagias v. g. Narium, cujus Exemplum vid. apud *Forest. Lib. 2. Observ. 20. Uteri, vid. Galen. 5. de Loc. affect. cap. ult. Hæmorrhoidum; &c.* (2) Cum propter Hepatis imbecillitatem aquosus Sanguis, instar Loturæ Carnium excernitur, qui Alvi Fluxus Hepaticus nominatur. (3) Cum Sanguis Melancholicus per ve-

nas, rectius Arterias Mesaraicas ad intestina à Naturâ defertur, & niger atque splendens tam per Alvum, quam per vomitum simul ejicitur. (4) Denique cum ob casum ex alto Sanguis per alvum excernitur, isque nigricans interdum & graveolens, qui procul dubio in loco contuso diu fuit retentus. Verum hæ omnes cruentæ Dejectionis differentiæ impropriè Dysenterix dicuntur. Propriè enim sic dicta Dysenteria, de quâ nobis sermo est, cum Intestinorum Dolore ac Torminibus est conjuncta.

I I I.

Est enim Dysenteria propriè dicta, frequens atque cruenta Alvi dejectio, cum Ventris Dolore ac Torminibus, ab Intestinorum vehementi irritatione, nec non subsequâ Erosione & Exulceratione dependens. Hæc autem ut clarius elucescant, & Historia Morbi ritè proponatur, ordine considerabimus Morbi hujus (1) subjectum (2) Causas (3) Differentias (4) Signa, & Symptomata. Quibus addemus (5) Curationem.

I V.

Intestina esse hujus Morbi subjectum, nemo facilè in dubium vocabit; Confirmant enim id non solum Medici Veteres & Moderni, sed & probari sufficientissimè potest partim ex Dolore, ejusque vel situ, dum in Regione illâ Corporis, ubi intestina sita sunt, deprehenditur, vel Indole, quoniam cum contorsione & Convolutione aliquâ invadere solet, vel denique Exacerbationis Tempore, tum maximè sese exerente, quando Intestina ad exonerandam materiam excrementitiâ stimulantur: Partim verò ex Actione Intestinorum læsa, quam frequens dejectio satis innuit. Quibus verò omnibus insuper habitis, asserti nihilominus nostri veritatem unicè satis demonstrant Observationes Medicorum, in Cadaveribus ex Dysenteria mortuorum factæ, quibus constat, Intestina Dysentericorum utplurimum erosa, exulcerata, gangrænosa, sphacelata fuisse deprehensa, uti apud *Schenckium*, & *Bonet. in sepulchret.* alibi que videre est.

V.

Cum autem Intestina sint duplicis generis, Tenuia, & Crassa, merito hic quæritur, quænam ex illis patiantur, an verò tota fistula Intestinalis afficiatur? Ad Quæstionem hanc, sufficientem iterum responsonem dabunt Observationes in cadaveribus dysentericorum institutæ. Hæ videlicet docent, Intestina tam tenuia, quam crassa affici, idque modo separatim, modo conjunctim. Et conjunctim quidem id fieri asserunt præter

præter alios *Horsinus lib. 4. Obs. 20. & Dolens Encyclop. 429.* Qui sex Cadavera Dysentericorum à se dissecta refert, in quibus tenuia æque ac crassa purulentis scatuisse tuberculis, illaque hinc nigra & sphacelata reperta, inque istorum uno, Pylorum Ventriculi sphacelatum & corrosum fuisse testatur. Separatim verò Crassa ut plurimum hujus Morbi sedem esse, probat *Panarolus Pent. 1. Obs. 9. Barthol. Cent. 6. Hist. 2.* Quibus pariter accedunt Sectiones Cadaverum, à Medicis nonnullis in superiori Palatinatu Anno 60. hujus seculi hunc in finem susceptæ, cum vehementer ibidem grassaretur Dysenteria, in quibus semper crassa magis fuisse affecta, annotarunt.

V I.

Si quæras: secundum quam Partem Intestina laborent? respondemus, secundum Tunicas & Vasa. Simulac enim Mucus Intestinorum iterata Evacuatione est excretus, proxima quoque interior rugosa tunica ab acri, humore corroditur, & abraditur. Quo factò vasa etiam læduntur, & statim sequitur Sanguinis effluxus. Eò ipso autem non excluduntur à hoc malò reliquæ Intestinorum Tunicæ, diu præsertim durante malo, & ad mortem usque ægrum excruciente.

V I I.

Sed quid dicam de Ventriculo, non ne is cum aliis quoque Partibus inter mali subjectum erit numerandus? Certè si consideremus connexionem ejus immediatam cum Intestinis, & substantiæ homogeneitatem, omnino per consensum illum affici quandoque puto. Quem in finem forassis *Helmontius* quoque in Pylorum culpam rejecit, utpote qui mali Fomitum ex Ventriculo & ad eum allicit. Distinguendam modò erit inter subjectum ipsius Affectus, & Causæ, inter loca mandantia & recipientia. Imo sæpe dysenteria latius quam ad sola intestina progreditur. Sic *Mesenterii Glandulas* materiâ purulentâ refertas observavit *Falcobergius* apud *Thom. Barthol. Cent. 6. Hist. Anat. 2. p. 201. seq.* & possunt hæc de re plura videri apud *Hollerium lib. 1. de Morb. Intern. cap. 43.*

V I I I.

Discussis itaque partibus affectis, progredimur nunc ad causas. Quorum quidem primò remotiores, seu antecedentes considerabimus, ut hæc ratione facilius sit ad inquisitionem proximæ progressus; secus ac plerique medicorum facere assolent, tractationem proximæ remotioribus præmittentes, idque inverso plane ordine: Cum in accuratâ causarum inquisitione potiori jure à notiori ad ignotum progrediatur, atque de eò, quod primùm movet, primùm quoque sermo instituitur.

IX.

Inter Causas itaque Antecedentes I. Ex Classe rerum Naturalium huc spectat Temperatura MSeæ salior, & biliosa, quæ apta præ cæteris ad Dysenteria productionem censetur, imprimùs si ficcior corporis habitus accedat. Neque Ætas & sexus ullam hic patiuntur exceptionem, cum non solum puerilis, teste Hippocrate Sect. 3. Aph. 4. verùm etiam Juvenilis & Virilis, ob errores in Victu, & majorem bilis abundantiam, imò senilis quoque, teste experientiâ; tum Sexus etiam uterque indifferenter hoc mali genere affligi soleant.

X.

II. Ex Classe Rerum Non-Naturalium se sistit (1) Aer, multis nominibus omnibus aliis, Morbum hunc introducentibus Causis anteponendus. Isque quando est vel ficcior, teste Hippocrate 3. Aph. 6. vel Autumnalis, ob subitanam tunc & inconsuetam Caloris cum Frigore permutationem, poros Corporis occludendo, transpirationemque impediendo; Vel quando Miasmatis pravis, & heterogeneis est refertus, cui maximè originem debet Dysenteria Epidemica. Vid. Forest. Lib. 22. Obs. 38. p. 413. Nam in quem alium, quam hunc culpa rejici potest, si quis optimâ aliâs Corporis constitutione gaudens, tempore epidemicè grassantis Dysenteria, nullum cum Ægro commercium habens, in diffitis satis locis absque ulla evidenti causa morbo hoc corripiatur. Quomodo autem hoc fiat, & quibus circumstantiis, postea videbimus.

XI.

(2) Cibus & Potus; Et in genere quidem omnia Alimenta putrescentia, Saccharata, mellita, acridinem & mordicitatem concipientia, haut rarò Dysenteriam inducunt. Quo spectant Fructus horæi, qui tempore Autumnali, præsertim quando maturescunt, Epidemicam Dysenteriam sæpius solent excitare, idque non tam per se, licet interdum possint aliquid conferre, sed tum potissimum, quando fructus illi vitio Aëris inquinati sunt. Id quod multiplici Experientia comprobatur; quatenus observatum est, sæpe Fructuum magnam fuisse abundantiam, nullâ tamen hinc subsequente Dysenteria; & contra frequentissimas has exstitisse, cum minor Fructuum copia adesset. Imò hîc ex esu Fructuum immo dico plurimos in Dysenteriam incurrisse, alibi verò innumeros Fructuum Amatores strenuos, nihil plane incommodi sensisse, annuatim deprehendimus. In specie autem ex esu Brassicæ Capitatæ, noxio rore infectæ lethalis Dysenteria annotatur in Misc. Med. Curios. Ann. 3. p. 143. Paritur ex Uvarum & Peponum esu, Multique Potu, facîle oriri Dysente-

fenteria, testatur *Forestus Lib. 22. Obs. 31. p. 400.* Sic Nuces Avelanas Dysenteriam sæpius excitare notum est. Illud autem non tam ab humore earundem fermentante, quàm angulorum acie provenire putat *Excell. Vir D. Joh. Dan. Major, in Acad. Kiliensi P. P. celeberrim. Patronus atque Præceptor ob privatissimam per aliquot annos informationem summè colendus.* Ufus item Aquæ, Aceti, Vini, in plumbeis vel cupreis vasis diutius asservati noxius fuit Deprehensus ab *Hildano Cent. 2. Obs. 100. p. 182.* Quibus annumeratur Vinum recens, dulce, ut & austerum, *vid. Hildan. l. d. p. 670.*

X I I.

III. Quoad Classem denique Rerum p. n. frequenter accidit, ut diarrhœa diutius continuata, in Dysenteriam degeneret, *vid. Sylvat. Cent. 2. Consil. 92. p. 189. & alios.* Adamantem quoque devoratum Dysenterix causam fuisse refert *Zacut. Lusit. Lib. 1. Prax. adm. obs. 18.* Hunc tamen & innoxie Deglutitum, & pulverem ejus pro Dysenterix cura adhibitum, narrat *Wormius in Mus. p. 103.* Quos diversos effectus rei unius originem traxisse à Præparatione, optimè annotavit inter alios *D. Ettmull. Prax. p. 106.* Exactè enim, inquit, pulverisatus Adamas innoxie devorari potest, cujus sensilia frustula, propter angulorum aciem, incidendo & perforando Intestina, reverà nociva sunt. Nec inconsuetum, Medicamenta Purgantia vehementiora, primùm Hypercatharses, dein verò Dysenteriam ipsam excitasse; Exemplum vid. in Studioso quodam dano, cujus meminit *Stranffius in Palæstr. Med. p. 189.* Sic Venena quoque acria, fermentativa, & colliquativa Symbolum huc conferunt. Et Ulcus Pedum diuturnum curatum, Dysenteriam iutulisse lethalem, referunt *Misc. Curios. Ann. 2. p. 314.* Quin ut unicum adhuc afferam, ex solâ inunctione Mercurii, pro Cura Luis Venereæ, subinde Alvi fluxum cruentum & torminosum fuisse excitatum, testatur *B. D. Ettmull. in Med. Pract. p. 106.*

X I I I.

Enumeratis itaque Causis Procatarteticis & Remotis, quæ Dysenteriam inducere solent, nunc quoque considerabimus, quomodo hæ omnes agant, & quæ tandem sit Causa Proxima. Quoniam autem ex hæcenus enarratis clarissimè patet, semper in præsentī morbo acrem & fermentativam materiam deprehendi, hinc Causam Dysenterix Proximam, Irritationem quandam esse, à tali materia in Partibus Intestinorum sensibilibus ortam, quivis facile videt: Quas convulsivas Irritationes, non modo sub Exordium statim, vehementissimi dolores, sed & postea Muci,

fan.

sanguinisque profluxus, apertis erosisque vasis, comitantur.

X I V.

Est, posse singulatim, Causas in Præcedentibus allatas omnes, propositâ ratione Dysenteriam proximè inducere, certo certius est. Dictum videl. de Aere, hunc sæpius excitare Epidemicam Dysenteriam; id quod sequentem in modum fieri existimo: Quando n. Miasma tale fermentativum & acre, tunc temporis in Aère volitans, vel Respiratione, vel cum Cibis Rore infectis, aut ex Conversatione cum Aëgrò, intra Corpus fuit receptum, tunc statim mirum in modum fermentat humores, ut acrimoniam concipiant, & Fibras Intestinorum irritent, quæ sese p. n. contrahendo, materiam contentam propellunt, ut tandem successu temporis Excoriatio ipsa contingat, & sanguinis Purpura sequatur. Quod Miasma, cujusnam sit Naturæ, difficile equidem determinatu, cum unice hoc ex Curandi Methodo, adeoque à posteriori colligi possit; Certum tamen, esse illud volatilioris & per quam mobilis texturæ, dum Alexipharmacis potissimum Medicamentis facile cedit, & tantum futurum Practicum scire sufficit. Reliquas verò quod attinet Causas, quarum mentio facta est, Venena nimirum, Purgantia vehementiora, &c. agunt eadem, modò virus & contagium Aeri conjunctum excipias, fermentativis pariter & acris particulis, irritationem, tandemque Erosionem & reliqua inducentibus.

X V.

Quoad Aliorum sententias, in recensendis & examinandis iisdem operam non impendemus, potes enim Benevole Lector, omnes illas congestas & expositas videre apud Dolæum Encyclop. p. 430. & seq. In specie verò de Sale Resoluto Paracelsi, item de Archæo Irritato & furioso Helmontii Legi meretur Straußius in Palæstr. Med. Pract. p. 144. & seq.

X V I.

Ex dictis autem patet, diversas concipiendas esse Dysenteriarum species. Sic dividitur (1) Ratione Causæ Antecedentis & Moris sui in Epidemicam, quæ eodem tempore plurimos inficit, & sporadicam, quæ unum alterumve non à communi sed à Causâ invadit particulari. Quæ distinctio sanè maximi est usus, præsertim in Praxi, nam aliâ plane ratione, in Epidemicâ Dysenteria, alia rursus in sporadicâ, cura suscipienda est. Illa iterum est vel Benigna vel Maligna, utraque verò semper contagiosa. Videmus enim brevi tempore non in eâdem tantum domo, sed mox in Urbe, pagove, omnes ferè Domos infici, ut sæpe ne

Pestis

Pestis quidem tam celeri contagio grassetur, quam Dysenteria illa. Cuius tamen Contagii vis majorem miretur admirationem in Pagis, quam in Urbibus, quo magis à se distant in Pagis domus, & minor est Incolarum frequentia, & pauca commercia habentur. Sporadica autem non est contagiosa, cum Experienciâ constet, tali Dysenteriâ laborantes, neminem familiarium aut domestorum infecisse. (2) Ratione Excrementorum, à Germanis dispesci solet *in die Rothe Ruhr, und Weiße Ruhr*. Quarum illa est, quando maximam partem Cruentarum Sordium fit excretio; hæc verò, cum quæ effluunt, albida sunt & mucosa, cum paucissimis striis sanguineis, non minus tamen conjunctis doloribus. De hac videri potest *Cl. Willisus in Pharm. Ration.*

X V I I. Nunc, ordinis ratione habitâ, progredimur ad signa perlustranda, & quidem primò Diagnostica, quorum præcipua ex Definitione facillè eliciuntur. Adest nempe Frequens Alvi dejectio, quâ diversi generis humores, aliaque excernuntur, & initio quidem album quid & mucosum, dein sanguis ipse, nunc purus, nunc mucosæ materiæ intermixtus, cui intertextæ sunt Fibræ quædam, pro Fibris Intestinorum abrasis vulgò habitæ. Quibus tandem, si malum altiores egerit radices, succedunt pus, Carunculæ glandulosæ, & ipsa Intestinorum Substantia.

X V I I I. Oriuntur autem hæc Occasione Quæstiones quædam consideratu dignæ, necessariò, antequam ad reliqua fiat transitus, prius decidendæ. Et quidem quæritur (1) *Quidnam sit mucosum illud & album, quod in Dysenteria excernatur? an pro purulentâ Materiâ, ut vulgus & Medici nonnulli credunt, sit habendum?* Post habitâ verò aliorum hæc de re sententia, licet non negari possit, aliquando vera ulcera per Dysenteriam oriri, & verum etiam pus aliquando excerni, ut mox pluribus audiemus, interim tamen Mucum album, qui plerumque & quidem in tam magna copia excernitur, non pus, sed pituitam potius aliquam, & Mucum Intestinorum per Morbum hunc auctum, vel ex Opinione Excell. D. Bohnii, lympham Glandularum intestinalium, ab acrioribus humoribus coagulatam atque inspissatam esse arbitramur. Quæritur (2) *An Fibræ illæ, in mucosa materia, & Cruore apparentes, semper pro Fibris Intestinorum sint habendæ.* Id quod non facillè concedi posse puto, nisi in summo Morbi gradu. Aliàs non nisi ex mucosâ illa materiâ conflatas illas esse & in tali formâ concretas, cum Excell. D. Meibomio, aliisque censemus.

XIX. *Quæstio* (3) Hæc Quæstio tandem incidit, *an verum pus excernatur, & vera sic fiat Exulceratio Intestinorum?* Hoc multi Neotericorum cum *Holderboff.* negarunt, dicentes, vix possibile esse, in membranosis Intestinorum partibus, ut ulcus existat. Sed possibilitatem hujus rei satis evincit accurata Intestinorum inspectio; non enim tota membranosa deprehenduntur, sed ex parte quoque sunt carnosæ, vid. *Diemerbroek, Lib. 1. Anat. c. 7. p. 60.* & alios. Præterea sententia hæc nihil habet absurdum, modo commoda accedat explicatio. Eodem enim modo hic sese res habet, ac in Phthisi, ab exulceratione Pulmonum, & acri Catarrho præcedente facta. In hac enim quemadmodum materia acris sensibiles Pulmonum partes irritans efficit, ut primò tussis frequentissima oriatur cum Exspuitione Materiæ tenuis, deinde quoque Vasa erodat, & vel materiam sanguine tinctam, vel sanguinem purum ejici faciat, tandem ulcus excitet, ex quo purulenta fere materia ejiciatur, permanente continua ad Excretionem Irritatione: ita quoque in Dysenteria acris aliqua & fermentativa materia irritat Intestinorum fibras sensibiles, & ad frequentem & p. n. contractionem compellit, simulque humores in Ventriculo & Intestinis commovet & fermentat. In progressu Morbi sanguis & mucus ex Vasis & Glandulis Intestinorum erosus & malè affectis profluunt, Intestina inflammantur, & exoriantur, & interdum Ulcera sordida & rheumatica relinquuntur. Quæ ita sese habere instituta totidem in Cadaveribus Dysentericorum *Autopsia* Anatomica satis testatur, de quâ supra actum est.

XX. Secundum signorum Pathognomonicorum locum obtinet, Dolor ille Ventris acerrimus, qui variè ab ægris describitur: modo ac si totum abdomen in unum quasi globum trahatur, modò ac si omnia Intestina cum Excrementis simul essent ejicienda. Id quod maximam partem consistit in spasmodica Intestinorum convulsione, quâ irritata intestina spasmodicè quodam corrépta se contrahunt, & motu vermiculari se torquent, & tales dolorum sensus formant. Sentiunt autem Ægri dolorem illum aliquando in medio ventre, & quidem frequentissimè circa umbilicalem regionem, interdum tamen & versus superiora quoque se exferit, & tum immanes Cardialgiæ & singultus conjungi solent. Atque hæc plerumque, & in omni ferè Dysenteria contingunt: nonnunquam verò, Experienciâ teste, indolentes quoque Dysenterias occurrisse certum est, quales tempore grassantis Epidemicæ Dysentericæ observatæ sunt inter alios

àb Excell. D. Wodolio, Præceptore quondam meo aeternum deuenorando, vid. *Atisc. Curios. Ann. 2. Obs. 43. p. 82.* Cujus Indolentiæ Causam à maxima malignitate, & gangrænosa Intestinorum constitutione dependere probabile est. Unde & tales Dysenterici vitam finire tanquam Gangrænâ affecti cum sudore frigido, nigrore Faciei, & fœtore intolerabili.

X X I.

Accedunt his alia adhuc Signa, & symptomata, & quidem (1) *Febres variae Indolis*, Dysenteriam Epidemicam plerumque comitantes, quæ Miasmati pravo, acri, fermentativo, Sanguini communicato, maximè originem debent. (2) *Sitis*, ortum trahens à Calore & frequenti dejectione, humidum in corpore nimium quantum absumente, & siccitatem in ore quin massa sanguinea relincente. (3) *Appetitus depravatus*, depravato Ventriculi humori, & consumptioni atque Penuriæ spirituum adscribendus. (4) *Amini deliquia*, *Extremorum Frigiditas*, itidem ob summam nobilissimi sanguinis, & cum eò spirituum jacturam, per nimias illas Excretiones factam. (5) *Singultus*, partim à Exinanitione, partim verò à superstito adhuc humore acri Diaphragma & intestinorum fibras vellicante, proveniens. (6) *Dolorosa denique Desidendi Cupiditas*, sed inanis plerumque, aut cum paucâ tantum puris & Sanguinis excretionem conjuncta, *Tenesmus* vocata, à acri pariter humore, transitu suo frequenti Intestinum Rectum non nihil corrode, & fibras ejus sensiles irritante dependens. Quæ tamen Symptomata, & reliqua quæ supersunt omnia, non omnibus & eodem tempore ac gradu contingunt, sed pro Causæ peccantis benignitate, aut malitiâ, Quietè, & motu variant, jam remissius agendo, jam cum majori Energiâ se prodendo, cum nunc omnia, nunc aliqua saltem illorum deprehendantur.

X X I I.

Ad inveniendâ signa Causarum distinctiva plurimum confert, si ex Relatione Ægrotantium colligentur Antecedentia, e. g. an errores in diætâ sint commissi? sic si æger referat, fructus horæos in sat magnâ copia à se commestos, Mercurium per inunctionem adhibitum, assumptum esse Medicamentum fortiter purgans, & quæ sunt alia ex supra allatis huc revocanda, tunc facillè malum exinde natum esse judicamus. An verò à Causâ Communi oriatur Morbus, & sic Epidemicè grassetur, facillè patet ex Contagio, & anni Tempore, si nempe sine manifesta Causa multi simul afficiantur. Contagium autem hoc per approximationem præcipuè solet propagari, & imprimis per Excrementorum contactum, aut si graveolentia horum effluvia adstantium nares potentius penetrent,

si promiscuè Ægri cum sanis eidem latrinæ infideant, aut etiam, si iisdem Instrumentis ad Clysteres injiciendos utantur, teste *Helideo Paduano in Obs.* 104. sic etiam Epidemica oriri solet sub æstatis finem & Autumnii initium, tumque per unum aut alterum Mensem grassari, adveniente verò frigore iterum desinere. Malignitas aliqua an simul sublit, satis indicant Symptomata solito graviora.

X X I I I.

Quænam verò Intestina afficiantur, colligitur (1) *Ex doloris loco*, qui si circa umbilicum, & in Regione Epigastrica magis eminet, Tenuia, si verè in Hypogastrio & Ileis, adeoque utrinque circa latera, secundum nempe coliductum vexat magis, Crassa videntur laborare. (2) *Ex doloris vehementia* diversa, atrocior enim est in Tenuibus, ut qsi aciculis compungi videantur Ægri propter intestinorum tenuitatem & vaporum sanguineorum abundantiam; remissior verò in Crassis, ob carnositatem suam sensu non ita exquisito gaudentibus. (3) *Ex Constitutione eorum, quæ deiciantur*; si enim tenuia afficiantur, sanguis, Mucus, &c. propter magnum iter, quod mutuo conficiunt, sæcibus intimius commixta sunt, sin Crassa, secus. (4) Denique *ex dejiendi Modo*; nam affectis tenuibus, alvus post tormina & cruciatus non statim deponitur, idque ob longiorem à loco affecto ad Intestinum rectum & Anisphincterem viam, crassis verò afflictis, statim à doloribus illis fit Ventris Excretio.

X X I V.

Restant nunc ea, quæ in Dysenteria prædicenda veniunt, & quæ circa varios ejus Eventus Medico sunt consideranda. Variat autem Prognosis ratione Causæ, Excretorum, Partis affectæ, subjectorum, & symptomatum. *Ratione Causæ*, exiguæ aut nullius spei est Dysenteria (1) ab atrâ vile, nulla præcedente Febre, nec Coctionis signis proveniens, juxta *Hippocr. Sect. 4. Aph. 24.* (2) Quæ à sincerâ, v.g. biliosa aut æruginosa dejectione, id est nullo sero diluta, hinc magis erodente oritur, juxta *Eand. Sect. 7. Aph. 23.* (3) Omnium tamen vehementissima videtur, quæ à Pituita falsâ, utpote qui humor ob lentorem suum moram trahit, & cunctatione tali magis exulcerat. Vid. *Galen. in Aph. Hippocr. Sect. 3. Aph. 12.* (4) Si post Morbum acutum præpripis malignum contingat. (5) si Epidemicè grassetur. (6) si maligna simul sit & pestilens. *Ratione Excretorum*, Dysenterix pessimæ sunt, in quibus Excreta sunt viridia, nigra, & admodum graveolentia, quæ omnia Gangrænæ præsentiam testantur, item si Carunculæ deiciantur, juxta

juxta *Hippocr.* 26. *sect.* 4. utpote quæ profundius ulcus denotant. *Ratione* verò *Paris affelta*, majus periculum *Ægro* imminere videtur, si *Intestina tenuia* afficiantur, quia, ut rectè ratiocinatur *Dolans* p. 432. *Prax.* fibrillas habent nervosas subtiliores, & plura vasa, quæ sanguinem profundunt copiosorem, nec ita facilè uniri possunt.

X X V.

Subjecta quod attinet, senes & Pueri ex hoc morbo sæpius pereunt, quam in mediâ ætate constituti; vid. *Senn. Prax. lib.* 3. p. 342. Item *Mulieres gravidæ* *Dysenteria* laborantes, in summo sunt *Abortus* periculo, raro cum fœtu, quem gestunt, evadunt; plerumque enim per multas illas *Excretiones*, ob situs viciniam, irritato uterò, intempestive ejicitur *Fœtus*, & vel *Fœtus* vel *Mater* perit. Sic quoque *Corpora impura* & *Cachectica*, *Dysenterica* facta, majus damnum sentiunt, item *Melancholici dicti*, quorum acres, quibus abundant humores, malum hoc magis magisque adaugent, cique pabulum præbendo, in statu & vigore continuo malum conservant.

X X V I.

Habitò tandem respectu *Symptomatum*, *Dysenteria* haud multum boni præfagit, si *Febrem* habet conjunctam, ob majorem nempe in sanguine *Fermentationem*, & hinc mala resultantia *Symptomata*. (2) Si *Indolens* observatur, *venæportæ* enim seu *Gangrænâ* *Intestinatorum*, uti supra monui, indeque inductam insensibilitatem ostendit. Quanquam *Experientia* constet, & imprimis ex observatione *Excell. D. Meibomii*, pueros & puellas fluxibus laborasse sanguinels sine notabili aliquo dolore, circumambulasse, lussisse, comedisse, & sic paucis iisque vulgaribus medicamentis pristinæ *Sanitati* restitutos fuisse. (3) Mali ominis est, si *singultus* in progressu morbi, vel *Vomitus biliosus* in ejus principio superveniant, vid. *Hipp. in Coac.* copia enim *acredinis* indicatur, quæ *convulsiones* majores efficit. (4) Si *Aphthæ* in ore appareant, item post *Aurem* *sinistram* vel *dextram* *nigra inacula* vel *tuberculum* conspiciatur. Quibus omnibus si insuper *Cibi fastidium*, *Convulsiones*, *deliria*, *virium dejectiores*, *sudores frigidi*, *color in Facie luridus*, & quasi *niger* circa *oculos* combinentur, res conclamata est.

I X X V I I.

E contra *salutaris* magis observatur *Dysenteria Maniacis*, *lienosis* superveniens, nisi longior illa exstiterit, hinc enim aut ex *lienteria* aut *Hydrope* pereunt; vid. *Hipp. Sect.* 7. *Aph.* 5. *Sect.* 6. *Aph.* 48. Item quæ *crassa Intestina* afficit, utpote minus periculosa habens *Symptomata*, &

facilius curationem admittens. Sic, si ructus & crepitus Ventris adsunt, bonum signum est, redeuntis scil. suo modo fermenti digestivi. Mulieres quoque Gravidæ Dysenteria laborantes, post partum hæc subinde liberantur. Cujus rei duo Exempia annotavit *Senn. Prax. lib. 3. p. 342.*

XXVIII.

Tempus Eventus quod attinet, Affectus hic plerumque intra 14. dierum spatium, decursum suum absolvit, quanquam aliquando latius & ad plures septimanas sese extendat. Imo interdum sedatis vehementibus Symptomatis, ulcus in Intestinis remanet, & sic purulentâ dejectione vezanus ægri non per menses tantum, sed annos quoque aliquot, donec tandem hæc consumuntur & extinguuntur. Quorsum etiam pertinet, quod Dysenteria interdum alios morbos succedaneos habeat, Apostemata nempe, Cachexias, Ventriculi Affectus, Partium Paralyse, si præsertim morbus illegitimè fuerit curatus, & fluxus intempestivè suppressus.

XXIX.

Postquam igitur ea, quæ ad Theoriam præsentis affectus pertinent, perlustravimus, reliquum est, ut ad curandi Methodum rectè tradendam nos accingamus, eaque, quæ ad jucundam, tutam, celeremque mali hujus sublationem ullo modo facere poterunt, fideliter adjiciamus. Absolvemus autem susceptam operam feliciter, modò ad Indicationes, à Causis, Partibus affectis, & Symptomatis sumendas, diligenter respiciamus, quæ sequentes erunt: I. Materia acris expellenda II. Temperanda. III. Ejus Activitas & Fermentatio sistenda. IV. Vasa in Intestinis erosa & aperta constringenda. V. Ulcus, si adsit, abstergendum & consolidandum. VI. Symptomata tollenda.

XXX.

Prima Indicatio obtinetur partim Purgantibus, partim sudoriferis. Quoad Purgantia quidem haud leve oritur dubium, an verè hic indicentur? Veteres ab his Curationem Morbi inchoabant, quorum præcepta multi Medici hodiernum sequuntur ex eâ potissimum ratione, ut edocitius materiam peccantem evacuent, & viam à Natura ipsis monstratam (Pedissequi nimium rigorosi) sedulò calcant. Verum enim vero dum paulò curatius mecum perpendo Affectum hunc, & Modum Agendi Purgantium, non possum non in contrariam abire multorum Neotericorum sententiam. Illud libenter concedo, Naturam, imprimis si criticus adsit motus, esse adjuvandam eò modò & per illam, quâ ducit, viam, si nempe actio ejus ad sanitatem recuperandam necessaria propter Virium imbecillitatem, vel loci aut Materiæ conditionem impediatur. Quæ

tamen

tamen omnia in nostrum Affectum non quadrant: in eò enim plus justo frequentioribus dejectionibus Natura sese liberat, & liberare etiam valet ab omni sibi noxià & motesta materia, ac Medicus frustra nec minus periculosè tentat, Purgantibus causam adimere, & simul Excretionem, tot gravia Symptomata inferentem, promovovere. Cui potius sistere eam, & Medicamentis quæ mox reconseebuntur, melioribus & minus periculosis irritationes crebras à materia acri causatas tollere incumbit. Præterea notum est, Purgantia constare Particulis Salino-Sulphureis fixioribus, quæ corporis humores, serum & sanguinem fermentant, fundunt, & ad exclusionem aptant, fibras Intestinorum irritant, vellunt, exulcerant, & dolorem exacerbant, quare tantum abest, ut causam Morbi attingant, ut potius exasperent illam, & sic revera plus damni quam commodi afferant. Quod abundè consensu & Experientiâ multorum Practicorum confirmatur. *B. Dn. Ettmulleras in Praxi sua p. 111.* ita loquitur: Laxativa parum vel nil valent. &c. ne jam in sublidium vocem *D. Wedelium*, & *D. Petermannum*, illum *Jenens. hunc. Lips. P. P.* & alios in Praxi viros celeberrimos, qui sæpius noxam à Purgantibus illatam experti sunt, & ideo parum vel nunquam iis uti solent. Gloriantur quidem multi de felici Purgantium operatione, felix tamen ille successus non tam Purgantibus, quàm aliis simul exhibitis Medicamentis erit adscribendus. Interim tamen non omnimodè damno atque rejicio Eorum usum, præsertim si malum ab Errore Diætæ ortum traxerit, & Medicus statim in initio advocetur, quod tamen rarissimè fieri solet: sed id solummodo dico, exhibitionem illorum non adeo necessariam esse, ut plurimi modernorum Medicorum sibi imaginantur, sed salva conscientia sine illis Medicum, si velit, curationem posse subire.

X X X I.

Alia est *Sudoriferorum* conditio; His enim tutò & feliciter Evacuatio & Dissipatio materiæ peccantis instituitur, tantò cum effectu, ut Historiæ Medicæ passim testentur, & his solis malum sæpius fuisse profligatum; & funditus extirpatum, vid. *B. dn. Ettmul. Prax. de Dysenteria p. m. 100. item Excell. D. Wedel. D. Amœn. M. M. p. 333.* Imprimis autem utilitatem suam probant in Dysenteria Epidemicâ plus minus maligna. In hac enim sudorifera & Alexipharmaca omne punctum absolvunt, in initio statim si adhibentur. Sunt autem & eliguntur hæc è numero illorum, quæ simul vim habent acrimoniam temperandi, & fermentationem sistendi, v. g. *Terr. Lemn. Bolus Arm. C. C. Philos. Ocul.*

cul. Cancr. Corall. rubr. Antimon. Diaphor. Succin. alb. & ex his parati Trochisci D. Carabe, Unicorn. fossil. Rad. Contrayerv. Lap. Bezoard. & ex his, similibusque parati Pulveres Bezoardici D. Sennert. D. Wedelii, & aliorum. Quibus accedunt Diafcor. Fracast. & alia Bezoardica, quorum Selectiora videas collecta in Tinctura Bezoardica D. Wedel. in Amcen. M. M. descripta p. 328. quæ ob materiæ selectum, & concinnam dosium appositionem cæteris omnibusfacile palmam præripit. Ante omnia autem his annumerantur opiata, v. g. Theriaca Androm. Theriac. Coel. Mithridatium Tinctur. Anodyna Langel. Wedel. &c. quæ omnia tanti æstimat Excell. Vir D. Wedelius, ut sine illis nullam veram Dysenteriam commodè curari posse affirmet Opiol. suâ p. 121. Promovent verò sudorem Medicamenta hæcenus enumerata partim Terreis suis partibus & volatilibus paucis acidum absorbendo, & quod ferum ligat, & fixius reddit, resolvendo, & sic ferum liberum, & ad sui exclusionem aptum reddendo, uti sunt Alcalina omnia; partim quatenus particulis volatilibus Salino-Sulphur. motum sanguinis intendunt, ejus massam attenuant, & fluxilem reddunt, quò pertinent ea, quæ Bezoardicorum nomine veniunt & opium ipsum. Possunt autem allata Medicamenta variè misceri, & sub variis formis à Medico prolubitu præparari & præscribi, prout nempè necessitas rei & consuetudo Ægri id postulant. Sic Pulveribus Bezoardicis utilissimè tantillum Theriac. Cœlest. vel Laud. opiat. additur, nec incongruè Tinct. Bezoard. cum Anodyn. remisceri potest, & Bolus quoque formari ex Theriac. Andr. Mithrid. cum Pulveribus supra-landatis.

X X X I I.

Ad Primam Indicationem pertinere quoque videntur Clysteres, qui abstergendi & educendi sine solent applicari. Horum autem Usus & ratio & Experientia improbat. Quis enim non videt, Medicamenta illa, per Clysteres Intestinis injecta obsæquentes ejectiones nullam pati posse moram, & sic parum vel nihil inde auxilii, si quid illis inest, sperari, quanquam & breve illud temporis momentum sufficiat, noxam inferendi aliquam. Quare non immeritò huc spectant verba *B. Dn. Etmull.* quæ in *Praxi suâ p. 111.* ita sonant: Clysmata rarè usurpanda, omnia enim qualiacunque fuerint, ceu aliquid peregrinum Intestinorum sensum plus minus irritant, & sic facile malum ex asperant. Id quod multorum in Praxi exercitatissimorum Virorum Experientia confirmatur. Et ego ipse testari possum, ne nonnullis in locis, ubi Epidemicè grassata est Dysenteria, omnes Clysteres à Medicis eorundem locorum incassum, imò cum

cum damno & interitu ægrorum adhibitos vidisse. Missis itaque illis ad alia potius me confero.

X X X I I I.

Ad IIam nempe Indicationem. Cui satisfaciunt partim Terrea, absorbentia, præcipitantia, in Thesi præcedente jam à nobis in medium prolata; partim glutinosa, ut Priapus Cervi, Ceti, partim oleosa, ut ol. oliv. Amygd. dulc. it. Ol. Rosac. Cyd. c. Ol. Ovor. remixtum. Quæ omnia partibus suis glabris, viscosis particulas acres irritantes obtundunt involvunt, obliniunt, & sic eas temperant. Habent profectò hæc insignem usum, ut his solis quoque ægros fuisse curatos Experientia testetur; quanquam propter nauseam, quam facillè pariunt, pauperibus potius & plebejis, quam ditioribus & delicatulis hæc exhibenda esse arbitremur.

X X X I V.

Tertia Indicatio obtinetur iterum Opiatis, quæ ob sulphur, quò gaudent, facillè resolubile, blandum, vaporosum, atque viscidum, spiritus & humores corporis blandè concentrant, obnubilant, figunt, atque sic inordinatum eorum motum inibent, impetum coercent, & ad naturalem statum optimè perducunt, *Vid. Excell. d. Wedel. Opiol. p. 43. 89.*

X X X V.

Ad Quartam Indicationem obtinendam unicè conferunt adstringentia. Horum autem cum magna sit latitudo & differentia, videbimus, quanam potius nostrum scopum feriant. Sunt autem illa (1) Ex simplicibus v.g. Corall. rubr. Unicorn. fossil. Lap. hæmat. Colcothar Vitrioli, Bolus Arm. Terr. Sigill. Panis Sambucin. Sangu. dracon. Herb. Vulnerariæ. Rad. Bistortæ, Tormentill. Cydonia, Mumia, Terr. Catech. N. Moschar. Cinnamom. &c. (2) Ex Compositis huc spectant: Pulvis Stypticus Croll. Wedel. Extract. Tormentill. Bistort. Ess. Terr. Jappon. Traumatica, &c. Quæ variis sub formis iterum exhiberi, & cum antecedentibus optimè misceri possunt. Sic elegans Tinctura emergit ex miscelâ Tinct. Bezoard. Traumat. & Anodyn. Modum verò Agendi horum Medicamentorum satis explicat sæpe laud. *Exc. D. Wedelius in Am. M. M. p. 27.*

X X X V I.

Quintam Indicationem ut impetremus, decocta Vulneraria præscribi possunt ex Rad. Consolid. Plantag. Herb. Agrim. Veron. Vinc. Pervinc. Sanicul. Heder. Terrestr. Pyrol. fl. Bellid. Rosor. &c. quæ ob particulas imprimis alkalinas desiccantes, absorbentes huic Indicationi satisfaciunt.

Possunt autem cum tali decocto simul sumi aliquot Guttulæ Balsam. Sulphur. & Tinct. Traumat. aut Bals. d. Peru, vel Balsama ipsa, ut de Peru, de Capaiwa in substantia vel forma Eleosacchari vel Boli exhibentur; quæ ob partes volatiles oleosas, roscidas, glutinosas sanguinem vigorant, *πλιζρόν* necessarium suggerunt, & sic omnia ad consolidationem disponunt. Non negligendus insuper clysterum usus, quæ hic immediatè magis agere videntur. Parantur autem ex iisdem, quæ jam allata sunt Medicamentis v. g. Rad. Consolid. major. Symphyt. Tormentill. Herb. Plantag. Sanicul. Fl. Verbasco. Rosar. Hyper, in Lacte vel jusculo. Carn. Vitul. coctis, quibus colatis dein addi possunt Ol. Rosar. Terebinth. Ven. c. Vitell. Ovi & quæ sunt alia.

XXXVII.

Sexta tandem *Indicationi* ut satisfiat, eorum saltem Symptomatum sublatio vel Mitigatio erit procuranda, quæ præ cæteris urgent, & multum incommodi ægris afferre solent. Cujus generis sunt *Dolor, Febris, & Tenesmus*. De *Dolore* primùm. Ille sistitur optimè Medicamentis partim Internis, partim Externis. Inter Interna unicè iterum eminent Opia-
ta, ex quo patet, quam longe lateque opiatorum Usus se diffundat, ita ut nulla ferè Indicatio reperiatur, quæ Exhibitionem eorum non indicat. Præstant autem talem effectum, quatenus ex antea-dictis somnum procurant, spiritus figunt & demulcent, & humorum acrimoniam temperant, ut pluribus explicavit *Exc. D. Wedel. in Opiol. suâ p. 81*. Externa verò constituunt Sacculos, ventri calide imponendos ex Herb. Menth. Summ. Aneth. Rad. Calam. Aromat. Angel. Zedoar. Galang. Fl. Chamæm. R. Sambuc. Rosar. Melilot. Bacc. Junip. Laur. Sem. Cumin. Car. Anis. &c. quibus immisceatur parum Theriacæ. Sic Theriaca ipsa cum Ol. Nucist. & Oleis Destill. Stomach. commodè potest misceri, & summâ cum utilitate ventri applicari. Modus autem operandi horum Medicamentorum in eò consistit, ut subtilior eorum pars per poros Cutis apertos partim cum sanguine communicetur, & in eò vires consuetas, quamvis refractè magis, exferat, partim verò recta & diametraliter ad partem affectam penetret, & ibi resistentem materiam peccantem discutiat, temperet, & ad exhalationem melius disponat. Posterioris Modi Agendi Veritatem si non Ratio, tamen Experientia comprobat, quæ nos docet, activitatem & energiam Medicamentorum externè adhibitorum in tam brevi temporis momento ad partem affectam sapius pertinere, ut impossibile sit, eam solum cum sanguine mediante Circulatione ejus deferri posse. Sic, ut unicum saltem exemplum in medium producam,
ob-

observatum est à Medico in Praxi exercitatissimo, quod si cataplasma aliquod ex certis medicamentis paratum in Ischuria Infantum, Pubi eorum applicetur, illicò urina erumpat, priusquam ulla vis Medicamenti cum Sanguine eò sit delata. Id quod hac occasione indicasse sufficiat.

X X X V I I I.

Febris Exacerbatio si nimis vehemens sit, præter pulveres præcipitantes aliaque superius allata, indicat, consentientibus sc. naturæ viribus, Venæsectionem, à multis hoc in casu rejectam teste tamen Experientiâ feliciter sæpius administratam, vid. *Strauss. Palæstr. Med. p. 195.* Præterea calida nimis hic sedulò sunt vitanda. *Tenesmi* vero Curatio acceleratur maximè Medicamentis Externis, temperantibus, anodynis, uti sunt, H. & Fl. Verbasc. Fl. Rosar. Sambuc. Melilot. Chamæm. Fol. malv. Alth. Sem Foen. gr. Cremor. Aven. Rad. Alth. Lil. alb. Sem. Cydon. Pnyll. Ol. Amygd. Dulc. rec. Ros. Seb. Cervin, Hircin. Lac dulc. Bals. Peruv. &c. quæ formâ vel Clysterum, vel Fotus, vel Vaporis, aut unguenti adhiberi solent. Jam verò de *Specificis* quibusdam & vulgaribus *Medicamentis*, in Dysenteria usitatis, aliquid adhuc esset dicendum. Cum verò illa rectius examinata modò haud specificò & singulari, sed manifesto satis agant, in selectioribus illis, hætenus recensitis, tanquam probati usus, libenter hic acquiescimus. Si quis tamen & ea nosse desiderat, evolvat modò *Praxin. Med. B. Dn. Enimull. ibi p. 112. & seq.* multa eorum inveniunt.

X X X I X.

Et sic tandem deducimur ad Contemplationem DIÆTÆ, quæ felicem labori nostro colophonem imponet. Hujus verò vis & efficacia tanta est in curandis Morbis, quanta in producendis iis deprehenditur. Frustrà paras Medicamenta, frustra eorum efficacissima, usuque probatissima assumuntur, neglectis diætæ legibus. Ante omnia autem Ægri nostri quam diligentissimè à Frigore sunt custodiendi, ne transpiratio insensibilis, tam summe necessaria, impediatur. Non minus etiam frigidus potus caveri debet, ob eandem quoque rationem, & ob multa, quæ inde emanant, nota satis & periculosa incommoda.

X L.

Quod verò Potum ipsum attinet, Cerevisia benè defæcata, nec recens non interdicenda ægro. Vinum quoque rubrum gallicum haud nocet, dummodo Febris absit. De Lacte verò tam simplici, quam Chalybeato, quid dicam? Hoc etsi primâ fronte multis Indicationibus satisfacere videatur, tamen ob diversos ejus nunc laudabiles, nunc tristes iterum & satis damnosos effectus, à Lacte quocunque potius abstinendum esse duco. Commodissimè autem bibuntur decocta Hordeacea, Avenacea, si præ-

sertim in illis herbæ quædam & Radices, ut Veron. Rad. Pimpinell. Plantag. &c. decoquantur. Inter Cibos capiendos eligantur illi, qui viscidine aliqua balsamica gaudent, ut Oryza, hordeum, Amygd. Gelat. C. C. Ped. Vitul. Iuscul. & Car. Vitul. Vitentur verò acria, acida, nimisque dulcia, sale & fumô indurata, item nimis humectantia, & quæ facillè fermentationem quandam excitant, uti sunt Fructus horarii plerique.

X L I.

Ad diætam quoque pertinent quies & somnus, ex quibus utrumque Dysentericis convenientissimum est. Quemadmodum enim à motu & vigiliis fluxus magis irritatur, & sanguis redditur acrior, ita à quiete & somnô fluxiones sedantur, dolores sopiuntur, viresque reficiuntur.

X L I I.

Veneris Exercitium, pariter equidem ad Diæteticum Fontem, & in specie ad Excernendorum & Retinendorum titulum referendum est, quatenus sanitati conservandæ, debitè adhibitum, omnino conducit: Ast, quænam eidem cum Dysenteria cognatio sit, & utrum vel præservativè, vel curativè, quemadmodum Riverius existimat, quiddam ad leniendam, aut penitus sistendam Dysenteriam contribuat? inutilis propemodum quæstio videtur, intuitu sc. virium in Dysentericis maximè prostratarum adeoque summæ ad coëundum ineptitudinis. Nihilominus, pensitando, Nephriticos & Arthriticos, ob serum acre partes genitales irritans, sæpius venereos experiri pruritus, & per accidens etiam ipsa purgantia, quoad partes Salinas & acres, quas in recessu fovent, aphrodisiaca esse, non mirabimur, Dysentericos quoque, ob abundantem humorum acrimoniam, stimulos sentire posse. Quamvis, an in omni, & præcipuè pravæ indolis Dysenteria id ipsum & quidem cum appetentia ad libidinem contingat, haud affirmaverim; quin potiùs dixerim, si illud accadat, pro mero Priapismô & convulsivâ Membri rigiditate habendum esse. Hinc Observatio, quam apud *Amatum Lusitanum Cent. 2. c. 47.* annotatam legimus, quendam scilicet, Epidemicâ Dysenteriâ laborantem, celebrato cum uxore coitu, mane sanum surrexisse, aut rarè contingentibus annumeranda erit, aut certè Dysentericus iste, ob bonam morbi indolem, & paucarnm virium jacturam, cæteroquin extra periculum constitutus fuit. Quoad rationem tamen Medelæ hujus, scias, eandem sine dubio avocatis in cestro venereo à parte affectâ ad Genitalia spiritibus, & sudoris Eruptioni adscribendam esse. Interim ego nulli Dysentericorum imitandum hoc facillè suaferim, potiùs verò superius recensita præscripserim remedia, benedictionem, piâ devotione, DEO, Ejusque Divinæ potentiæ committendo, cui pro immensâ Clementia sit Laus, Honor, & Gloria nullis seculis terminanda.

F I N I S.